

Innocentii textus, pro illis enim offerri preces & hostias publice in ecclesia nequeunt, qui jure privantur ecclesiastica sepultura. Si igitur pro Presbytero non baptizato defuncto jubentur offerri publice in ecclesia preces & hostie illum ecclesiastica potum fuisse sepultura, absolute est pronuntiandum. Quod eadem ratio sit habenda de Catechumeno nostro, ac de Presbytero, de quo in canone, nullum, puto, dubitare posse; cum rationes à Summo Pontifice pro Presbytero adductæ, æque militent pro Catechumeno. Uterque sine Baptismo decedit, uterque in Sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & in Christi nominis confessione perseverasse creditur; uterque ab originali peccato solutus; ac celestis patriæ gaudium adeptus præsumitur. Adde Innocentium pro sua stabilienda Patrum auctoritate sententiam, Orationem S. Ambrosii de obitu Valentiniæ adhuc Catechumeni vita functi adducere, scilicet, vult Pontifex ideo preces hostiasque offerri debere pro anima illius Presbyteri, quia easdem jussisset offerri S. Ambrosio pro anima Valentiniæ, adeo ut si pro Catechumeno offerri illæ non possent, Innocentii sententia prorumpere collaberetur.

10 Hinc est, quod idem Pontifex cap. Debitum de Baptismo, loquens de quodam Judæo, qui in mortis articulo constitutus semetipsum baptizaret, quamquam ejus Baptisma nullum sit, ut pronuntiat Papa, ibi tamen addit: *Quod si continuo decessisset, ad celestem patriam protinus evolasset, propter Sacramenti fidem, et si non propter fidei Sacramentum.* Propter eandem rationem, C. Veniens, de Presbytero non baptizato, æque pronuntiat: *Cum quis non solum per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti, efficiatur proculdubio membrum Christi.*

11 Innocentii III. sententia nova non est in ecclesia, sed antiqua ecclesiæ canonibus, priscaque consuetudine sita. Ea enim suum habet fundamentum in Can. 98. Concil. Carthag. IV. habiti anno 398. (tom. 2. Concil. Collect. Labb. column. 1206.) & Canon. 11. Concil. Arelat. 11. habiti anno 452. (tom. 3. col. 1912.) Quamquam hujusmodi duo canones in Penitentibus dumtaxat loquantur defunctis non completa penitentia; cum tamen eadem sit hac de re ratio Penitentium, & Catechumenorum; ideo in patrocinium hujusce sententiæ præfati canones citantur à Theologis. Quidquid tamen sit de eorum efficacia pro nostra constabunda sententia, eo tempore quo fidei canones editi sunt, morem invaluisse fundendi in ecclesia preces pro animabus Cathecumenorum, aperte constat ex S. Ambrosio jam supra laudato, cujus præstat verba recitare. Is igitur in Oratione de obitu Valentiniæ, postquam numer. 51. & 52. eum gratiam Baptismatis consequutum fuisse dixerat, quia baptizari optaverat, ac Baptismi desiderium in eo vice Baptismi suppleverat, numer. 83. gregem suum hortatur, ut oblationibus Valentiniæ animam prosequatur, & sacris mysteriis requiem ejus poscat: neque separanda esse nomina (sacris in dyplicis) Gratiani, & Valentiniæ, quamvis ille Baptizatus obierit. *Date manibus, inquit, Sancta mysteria, pio requiem ejus poscamus affectu. Date Sacramenta caelestia, animam nepotis nostris oblationibus prosequamur. Extollite populi mecum manus in Sancta, ut eo saltem munere vicem ejus meritis rependamus. Numquam ego priorum fratrum separabo nomina, merita dicernam.* (tom. 2. Operum edit. Monach. S. Mauri col. 1189.)

12 Hæc eadem est S. Aug. sententia, ut constat ex l. 4. de Baptismo contra Donatistas, numer. 30. & 32. (tom. 9. Operum col. 94. & 95.) nec non S. Bernardi Epistola, seu tractatu ad Hugonem de S. Victore, quam eorumdem SS. DD. Ambrosii, & Augustini auctoritate, ubi confirmavit, & subdit: *Ab his duobus columnis Augustinum loquor, & Ambrosium credo mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me errare, aut sapere fateor.*

13 Celebriores Theologi, & Canonistæ id pro certo habent, Passerinus, de statut. hom. tom. 2. quest. 187. art. 4. numer. 63. & apud ipsum Lexana, v. Sepultu-

ra, numer. 23. Bordon. resp. 51. numer. 176. Ad etiam tenet Card. Petra, comment. ad const. 2. Honor. III. sect. unica, numer. 58. Sarrus de censur. l. 5. c. 16. numer. 24. Barbosa, de off. & potest. Episcopi, part. alleg. 28. numer. 133. Bonacina, de Matr. quest. 4. punct. ultim. numer. 26. Thesaurus, de poenit. part. 2. verb. Sepulchri violatio, cap. 6. §. Limita quoad Catechumenos; Pax Jordanus, de re sna, l. 5. tit. 12. numer. 1200. Mirga tom. 1. tit. 2. disp. 4. dub. 7. Clericatus decisi sacram. 36. numer. 29. & 30. Gonzalez in cap. Ad Apostolicam de Presbytero non baptizato; Gagliardus, Anst. Jur. Can. l. 2. tit. de Baptismo, numer. 42. & alii plures qui citari possent.

Non inficior, huic huicque à nobis statuta doctrinæ opponi posse Concilii Brachar. II. auctoritatem anno 563. celebrati: quod quidem Concilium, postquam cap. 16. statuerat nullam commemorationem in oblatione esse faciendam pro iis, qui sibi metipsis necem inferunt, vel pro sceleribus puniuntur, neque eorum cadavera cum psalmis ad sepulchram esse deducenda, cap. 17. ita decrevit: *Item placuit, ut Catechumeni sine redemptione Baptismatis defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque præstandi impendatur officium.* (tom. 7. Concilii Edit. Labb. column. 841. & 842.)

Enim vero hujusce Concilii decreto occurrimus t. 15 cum Labor. tit. 12. cap. 15. n. 92. & Bordon. resp. 51. numer. 20. asserentes præfatum canonem intelligendum esse de Catechumeno illo, de quo constat ex culpa, & negligentia non fuisse baptizatum; quo quidem in casu eum non esse fidelium sepultura donandum, nos etiam tradidimus. 2. Dicimus, Bracharensem synodum loqui de eo, quod ut plurimum accidit, nullatenus vero de casu necessitatis. Raro enim contingit ut Catechumenus perfecte dispositus, & Baptismi desiderio flagrans, absque regenerationis Sacramento decedat. 3. Reponam cum Bannentis, Cardinali Orsi, hist. eccles. lib. 42. num. 62. tom. 19. ubi relatius summam præfatis duobus canonibus, subjungit: *Quanto à due ultimi casi ha prevaluto nella chiesa l' uso contrario, fondato, quanto alle preghiere per le anime de' giustiziati, nel cap. 14. del 2. Sinodo Aurelianaense, & quanto alle anime de' Catechumeni nell' esempio di S. Ambrogio.*

His breviter enucleatis de secunda Catechumenorum specie, ad tertiam devenio. Dico igitur 3. Catechumenis nondum in Christianæ Religionis capitibus mysteriis erudiis, atque ab hac vita migrantibus sine Baptismo, non esse ecclesiasticam sepulchram concedendam.

Palmarie id est. In tantum enim Catechumeni aliquando fidelium more sepeliuntur, in quantum fideles sunt, atque æternæ vitæ assequende capaces. Ille vero, qui præcipua Christianæ Religionis capita ignorat, neque fidelis est, neque vitæ æternæ assequende capax. Sane absque cognitione, & fide Trinitatis, & Incarnationis, nemo fidelis, & christianus dici potest. Quod enim est, (inquit S. Aug. l. de dono perseverant. num. 2. tom. x. Operum col. 543.) initium verius Christiano, quam credere in Christum? Fides autem in Christum, fidem cogitationemque Trinitatis, & Incarnationis præsupponit. Potro eorumdem mysteriorum cognitionem necessariam esse ad salutem consequendam, in confesso id est apud omnes veri nominis Theologos. Scio aliquos laxioris doctrinæ patronos nonnumquam arbitros fuisse, eandem cognitionem implicitam, ut dicunt, sufficere. Vide Domin. Vivam in Prop. 1. damnatam ab Alex. VII. num. 9. Verum ego majoris facti merechle auctoritatem Jesu Christi Domini mei, qui absque distinctionibus, & ambagibus, Joam. 17. declarat: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum, quam horum Scriptorum tricas.*

SEQUESTRATIO, SEU SEQUESTRUM.

SUMMARIUM.

- 1 Sequestratio, seu sequestrum quid sit.
- 2 Sequester quis sit & unde dictus.
- 3 Sequestratio, seu sequestrum differt à deposito.
- 4 Sequestratio, seu sequestrum est duplex, scilicet Sequestrum voluntarium, & necessarium.
- 5 Sequestrum voluntarium, seu conventionale quale sit.
- 6 Sequestrum necessarium, seu Judiciale quale sit.
- 7 Sequestrari possunt res mobiles, & immobiles, res corporales, & incorporeales, seu Jura, res profane, & spirituales.
- 8 Sequestratio, seu Sequestrum voluntarium regulariter est permittum.
- 9 Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, tamen post factam conventionem inter partes non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere.
- 10 Item neque ipsi sequestri recipienti rem in custodiam licet sua sponte à tali officio recedere, nisi iusta de causa, & interveniente auctoritate Judicis.
- 11 Sequestratio, seu sequestrum necessarium regulariter est prohibitum.
- 12 Dantur tamen plures casus, in quibus licite potest fieri de Jure sequestratio necessaria. Primo enim fieri potest ad instantiam alterius partis, quando Reus dissipat fructus quo conservare tenetur.
- 13 Secundo fieri potest sequestratio necessaria, ne dum quando Reus tales fructus actu dissipat, sed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipsos dissipet, aut dilapidet in futurum.
- 14 Tertio fieri potest, quando petitur res mobilis, & reus est suspectus, quod cum ea fugiat.
- 15 Quarto fieri potest, quando quis obligatus ad aliquid præstandum, non præstat, quamvis ad id monitur.
- 16 Quinto fieri potest in causis beneficiis, quando duo de beneficio contendunt, & neuter adhuc possidet.
- 17 Sexto fieri potest, quando reus conventus est contumax.
- 18 Septimo fieri potest, quando periculum est, ne partes contendentes ad arma deveniant.
- 19 Octavo fieri potest, quando colonus negat locationem, & contra dominum super dominio prælii litigat.
- 20 Nono fieri potest, quando maritus vergit ad inopiam, vel periculum est, ne dotem dilapidet.
- 21 Decimo fieri potest, quando timetur de sevitia viri, & non potest securitati uxoris sufficienter caveri.
- 22 Undecimo fieri potest, quando adest periculum, seu justus timor, ne sponsa, de cujus matrimonio contrahendo lit agitur, aliqua violentia inferatur.
- 23 Duodecimo fieri potest, quando servi conqueruntur de tyrannide dominorum suorum, & rationabiliter timetur, ne ob id Domini nimis caviant in illos.
- 24 Remedium Juris ad evitandam sequestrationem in supra allegatis, & aliis casibus, est sufficiens cautio, seu satisfactio de restituenda re litigiosa, vel fructibus ejus in casu, quo parte adversa obtineat in causa victoriam.
- 25 Immo per sufficientem, & idoneam cautionem, seu satisfactionem, tollitur etiam sequestratio jam facta, cum datus fuerit fidejussor idoneus.
- 26 Alia usque in finem non indigent sumario.

SEQUESTRATIO, seu sequestrum est rei controversæ, seu fructuum ejus apud tertium securitatis gratia legitime facta depositio: Sic in re Communis. Et colligitur ex leg. Licet 17. in princ. ff. Depositi, & ex leg. Sequester 100. ff. de verb. signific. Unde sequester dicitur is, apud quem plures, nempe Actor, & Reus eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt, dictus ab eo, quod ejus fidem partes contendentes, vel Judex sequantur, dum res litigiosa ejus custodia committitur; cit. l. Sequester 100. ff. de verb. signific.

nific. ibi: *Sequester dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt.*

Sequestratio, seu sequestrum differt à deposito. Primo, quia deponi possunt etiam res illæ, de quibus nulla est controversia; sequestrari autem possunt dumtaxat res illæ, de quibus est litis, seu controversia, l. Licet 17. §. 1. ff. Depositi. Secundo, quia non solum plures, sed etiam unus dumtaxat apud depositarium deponere potest; Apud sequestrem autem non nisi plures, l. Propria 6. l. Licet 17. in princ. ff. Depositi. Tertio, quia illi, qui rem communem depositam deponunt, non singuli eam in solidum, sed pro sua quisque parte, quam in re habet, deponere censetur, l. 1. §. Sed si duo, & cit. l. Licet, ff. Depositi: Qui autem apud sequestrem rem litigiosam deponunt, singuli in solidum deponunt, non pro parte, cit. l. Licet 17. ff. Depositi. Quarto, quia in deposito, quoties libuerit, res repeti potest; in sequestro autem non nisi post decisam controversiam; arg. cit. l. Sequester 100. ff. de verb. signific.

Sequestratio, seu sequestrum est duplex, scilicet, sequestrum voluntarium, seu conventionale, & sequestrum necessarium, sive Judiciale. Communis sequestrum voluntarium, seu conventionale, est illud, quod fit mutuo partium consensu, cum videlicet partes de re aliqua litigantes, rem illam mutuo consensu deponunt apud tertium, sive sequestrem, ut eam interim custodiat, & postmodum tradat vincenti. Et dicitur voluntarium, seu conventionale, quia illud faciunt, non coacte, sed proptia sua voluntate, & mutua conventionione. Sequestrum necessarium, seu Judiciale est illud, quod fit auctoritate, sive mandato Judicis, utraque parte invita, vel certe alterutra: Fit hoc dupliciter, vel motu proprio, & ex officio, vel ad instantiam, ut plerumque fieri solet, unius partis litigantis, altera contradicente, ut quando Actor petit sequestrari rem litigiosam, Reo contradicente. Et dicitur necessarium, sive Judiciale, quia fit auctoritate Judicis, invita utraque, vel saltem alterutra parte, & partes ipsæ litigantes necesse habent stare tali sequestro, eidemque plene obtemperare. Communis.

Sequestrari possunt res mobiles, & immobiles, res corporales, & incorporeales, seu Jura, res profane, & spirituales. Card. Tusch. verb. Sequester, concl. 101. n. 6. Barb. ad Rubric. tit. 17. de quest. n. 7. Pirhing. l. 2. Decret. tit. 17. numer. 4. Reiff. ib. n. 4. & alii passim.

Sequestratio, seu sequestrum voluntarium est regulariter permittum, quia est quædam species depositi, & consequenter est legitimus contractus, cit. l. Licet, ff. Depos. Unde Gailus lib. 1. Pract. Obser. 148. numer. 7. expresse dicit, quod sequestratio, que fit ex voluntate, & mutuo consensu partium, semper licite fit, l. Si solutus 39. ff. De solutionibus, l. Propria 6. ff. Depositi, l. Interesse tuto 39. ff. de acquir. possess.

Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, sicuti ceteri contractus approbati, l. Sicut 5. Cod. de actionibus, & obligationibus: Tamen post factam conventionem inter partes, non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere, iuxta illud vulgatum: *Quod à principio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis*, per notabilem textum in cit. l. Sicut initio 5. Cod. de obligation. & actionibus. Item ob eandem rationem neque ipsi sequestri recipienti rem in custodia licet sua sponte à tali officio recedere, nisi juxta de causa, & interveniente auctoritate Judicis; l. Ei, apud quem 5. §. si velis ff. Depositi, & ibi Barolus in Summario. Joannes Monachus in regula Locupletari, numer. 5. Jason in l. Si fidejussor, Pirhing. loc. cit. n. 6. Reiffenst. loc. cit. numer. 7. & 8. & alii.

Sequestratio, seu sequestrum necessarium regulariter est prohibitum. Communis, per text. in l. unie. Cod. de prohibita sequestratione pecunie, & concordat cap. Ad hoc 1. de sequestratione, juncta Glossa ibid. verb. Arbitrio. Rota part. 10. recent. dec. 277. n. 14. Et ratio est, quia non est Judicium ab executione in-

inchoandum, sed requiritur, quod Auctor suo de Jure doceat, & Reum super debito convincat, *cit. leg. unic. Cod. de prohibita sequestratione pecunia; Rota part. 1. recent. dec. 464. num. 2. part. 6. dec. 222. num. 3.* Priusquam enim Auctor doceat de suo Jure, stat presumptio favorabilis pro Reo; *l. ultimi. Cod. de Rei vindicatio. & cap. Ex literis, de probationibus*, adeoque non est turbandus reus in sua possessione, seu ejus usu per sequestrationem auctoritate Judicis factam, cum lite pendente, nihil sit innovandum, *cap. A memoria nostra 1. & cap. Laudabilem 2. Ut lite pendente nihil innovetur*, cum similibus, & expresse Glossa in *cap. Dilectus 2. de sequestratione, verb. Sequestrari*... citatis ad id variis Juribus.

12 Dicitur autem notanter, quod sequestratio, seu sequestrum necessarium regulariter est prohibendum, quia sunt plures casus in Jure expressi, in quibus licite potest fieri sequestratio necessaria, seu auctoritate, vel mandato Judicis. Primo enim fieri potest ad instantiam alterius partis sequestratio auctoritate, seu mandato Judicis, quando Reus dissipat fructus, quos conservare tenetur, *cap. Dilectus 2. & cap. Ab eo 3. de sequestratione*.

13 Secundo, fieri potest sequestratio necessaria, ne dum quando Reus fructus, quos conservare tenetur, actu dissipat, sed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipsos dissipet, aut dilapidet in futurum; *l. Imperatores, §. fin. ff. de appel. junctis cit. cap. Dilectus 2. & cap. Ab eo 3. de sequestratione*.

14 Tertio, sequestratio necessaria fieri potest quando petitur res mobilis, & Reus est suspectus, cum ea fugiat, *l. Si Fidejussor, §. Si satisfactum, ff. Qui satisfactio cogitur, & concordat leg. Senatus consulto 16. juncta Glossa ib. verb. Et deponatur, ff. de Officio Præsidis*.

15 Quarto, sequestratio necessaria fieri potest, quando quis obligatus ad aliquid præstandum, non præstat, quamvis ad id monitus, ut si Canonicus, vel alius Beneficiatus non residat, nec inserviat ecclesie prout deberet; Tunc enim possunt fructus beneficii sequestrari, donec causa sit decisa, *arg. cap. Pervenit 28. de appellat.*

16 Quinto, sequestratio necessaria fieri potest in causis beneficiabilibus, quando duo de beneficio contendunt, & neuter adhuc possidet. Tunc enim, lite pendente, potest Judex fructus beneficii sequestrare, donec lis sit decisa, ne aliquoquin una pars cum alterius præjudicio in beneficium se intrudat, *arg. l. Si quis §. ff. de Famil. Hæreditat. & Clem. unic. de sequestratione*.

17 Sexto, sequestratio necessaria fieri potest, quando Reus conventus est contumax; tunc enim res petita una cum fructibus potest interim sequestrari, cum Auctor Jure suo nondum ostenso in possessionem mitti non possit, ne vitium instructionis incurrat, *cap. Olim c. de Rescript. cap. Ex literis 2. de dolo, & contumacia. cap. unic. De eo, qui mittit. in possess. in 6. Vid. Addit. omitt. in fin. tom. pag. 493.*

18 Septimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando periculum est, ne partes contententes ad arma deveniant; tunc enim potest Judex nobili suo officio rem controversam apud tertium sequestrare, donec lis decidatur, cum Judici sit impedire, ne ad arma, & rixas deveniant, quos Jurisdictione sua componere potest, *arg. l. Sic ejus 13. ff. 3. de Usufruct. ibi: Cur enim inquit Julianus ad arma; & rixam procedere patiatur Prætor, quos potest Jurisdictione sua componere? Et concordat c. Cura 1. c. Significantiibus 2. de purgatione vulgari.*

19 Octavo, sequestratio necessaria fieri potest quando colonus negat locationem, & contra dominum super dominio prædii litigat; tunc enim, nisi colonus cautionem det de restituendis fructibus, si succubuerit, possunt fructus illi sequestrari, donec lis fuerit decisa, *l. Litibus, Cod. de agricolis, & censibus*.

20 Nono, sequestratio necessaria fieri potest, quando maritus vergit ad inopiam, vel periculum est, ne dotem dilapidet: Tum enim sequestrari potest ipsa

dos, *l. Si cum dotem 22. §. Si vero, ff. Solutio Matrimonii, cap. Per vestras 7. de donat. inter Vir. & Uxor.*

Decimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando timetur de sevitia viri, & non potest securitati uxoris sufficienter caveri; *cap. Literas 3. de resit. spoliator.*

Undecimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando adest periculum, seu justus timor, ne sponsæ, de cujus matrimonio contrahendo lis agitur, aliqua violentia inferatur; tunc enim debet quodammodo sequestrari, & in loco tuto collocari, *cap. Cum olim 14. de Sponsalibus cap. Causam Matrimonii 11. de probationibus*.

(Vid. Reg. Sched. lit. D. pag. 59. col. 1. pag. 120. col. 2. in fin. & quæ exponuntur lit. M. pag. 52. Col. 1. prop. fin. in add. nov. usque ad pag. seq. col. 1.)

Duodecimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando servi conseruntur de tyrannide dominorum suorum, & rationabiliter timeatur, quod ob id domini nimis sevant in illos; tunc enim lite pendente, potest, & debet Judex illos conservare, & si opus fuerit, sequestrare, *arg. Instir. De his, qui sui vel alieni Jur. sunt, §. Sed & major, & l. 1. §. Quod autem, ff. de Offic. Præsidi Urbis: Quod idem amplandum est ad Religiosos, qui conseruntur de suis Superioribus eos gravantibus; arg. cap. Olim 26. de accusationibus*.

(Lex 6. tit. 21. p. 4. asserit, domino facultatem non esse servum nimia sevitia tractandi, secus se gerente, patienterque servus perpeti haud possit, ad Judicem adeat, qui ex officio veritatem investiget: ea inventa, ipsemet servi venditionem fieri præcipit, pretium ex ea redactum domino tradendo; ad idem lex 3. in fin. tit. 5. par. 5. & lit. E. pag. 227. col. 2. Recognosce utpote aliquid ad rem, lex. 1. tit. 29. part. 2. 18. tit. 18. 7. tit. 25. 8. & 9. tit. 26. ejusd. p. 4.)

Remedium Juris ad evitandam sequestrationem in supra allegatis, & aliis casibus regulariter est sufficiens cautio, seu satisfactio de restituenda re litigiosa, vel fructibus ejus in casu, quo pars adversa obtineat in causa victoriam, *l. Senatusconsulto 16. de Officio Præsidi; Et concordat l. Satisfactio 1. l. Si Fidejussor 7. ff. Qui satisfactio cogitur, cum similibus, Rota part. 3. recent. dec. 381. numer. 2. (Ad rem lex 4. tit. 2. pag. 3. 1. ibi: E que de fador. tit. 1. ejus p. 3. Vid. fin. tit. 13. part. 1. in verb. anteced. Sepultura.)*

Immo per sufficientem, & idoneam cautionem, seu satisfactionem tollitur etiam sequestratio jam facta, dummodo datus fuerit fidejussor idoneus, *cit. l. Si Fidejussor 7. §. final. ff. Qui satisfactio cogitur, & notat Bartolus ib. in Summario, Rota part. 2. rec. dec. 654. numer. 5.*

Remedium apponendi sequestrum rebus asportatis in locis immunibus, quo usus fuit D. Nuntius, improbat a Sac. Congregatione. Sac. Congr. Immunit. in Taurinen. 28. Nov. 1693. lib. 2. Decr. Paul. pag. 208.

Judex laicus non potuit relaxare sequestrum contra bona ecclesiastici, & ideo Episcopus potuit procedere contra eum ad declarationem excommunicationis. Sac. Congr. Immunit. in Casalen. 25. Aprilis 1634. ibi pag. 188.

Solus Judex concedens, non autem patres obtinentes sequestrum contra fructus bonorum ecclesiasticorum, incidit in censuras in Bulla Coenæ Domini. Sac. Congr. Immunit. in Vercellen. 25. Nov. 1636. lib. 3. Decretal. pag. 18.

Non possunt per Regios sequestrari, vel detineri fiscales redditus debiti ecclesiis, & ecclesiasticis. Sac. Congr. Immun. in Sulmon. 9. Jun. 1637. ibi pag. 35.

Nuntius caret removere sequestrum appositum a Regiis Ministris super bonis mensæ episcopalis, aliâs civitas subjiçatur Interdicto. Sac. Congr. Imm. in Militen. 19. Nov. 1675. 11. Decemb. Altov. pag. 1672.

Judex laicus, qui prævenit in sequestrando frumentum laici debitoris respectu ecclesiastici, licet denegat restitutionem ipsius frumenti postea sequestrati a curia

episcopi, & depositati penes ipsamet Judicem laicum, non incurrit excommunicationem. Sacra Congr. Immun. in Pisaurum. 4. April. 1702. lib. 3. Decr. Vallem. part. 414.

Episcopus mandat sequestrari res furatas pro indemitate viduæ, in quolibet loco immuni reperiantur. Sac. Congr. Immunit. in Viterbien. 15. Marti. 1692. lib. Decr. Grim. pag. 101.

(Si recte perpendatur lit. A. pag. 50. pag. 179. lit. D. ex pag. 59. col. 2. ad pag. 63. col. 1. in addit. hisp. & novis. cum titulis inibi animadvertis exposita, videtur nihil magis in præcedentium fere omnium confirmationem esse appetendum præterquamquod ibi sunt prænotata.)

Possunt etiam liberæ personæ aliquando sequestrari. Uxores sequestrantur ob mariti insignem violentiam, quæ impedit quominus Uxor, quæ a marito diverfit, ipsi restituatur; *cap. 8. & cap. 13. in fin. de resit. Spol. Cognoscendum vero summam de ipsa violentia; & quæ incontinentim demonstranda tanta esse debet, ut habitare cum marito nequeat sine probabili periculo vitæ: Confer Cocejum in dissert. de sequestr. famini. cap. 5. §. 4. Et quod hic notare oportet, haud attenditur, an ipsa uxor causam violentiæ præsterit, dummodo periculum vite ipsi imminet; Nicolai de divorci. part. 2. cap. 5. num. 75.*

Quid autem si maritus offerat cautionem de non offereudo, an non tunc ipsa sit restituenda, & sequestrum relaxandum? Perperis circumstantis res decidit debet. Porro si insidia vitæ structæ probabiliter ostensæ fuerint, vix est lubrico cautionis mulier se committere interim teneatur, quippe quæ malevolam animam haud mutat; Cocejus cit. loc. §. 4. Nicolai pariter eodem loco num. 78. Neque distinguitur utrum uxor adhuc juvenis an vero probata fuerit. In tali vero loco sequestranda, vel viri nullam mulieri possit inferre violentiam, *cap. 8. de resit. Spoliar. Et monasterium potissimum locus sequestrari esse solet; cap. 14. de Probat. Et sumptibus mariti alenda est. Cocei citat. loc. in fin.*

De sequestratione uxorum prægnantium, quæ olim potissimum in usu erat, vide Bohemer. in decr. lib. 2. tit. 17. §. 7.

(Ne despicias leg. 17. tit. 6. part. 6. perlegere, ibique animadvertes formam, quæ scrupulose debet servari, si mulier prægnantem esso asserat, aliquid vid. lit. T. pag. 53. col. 2.)

Puellæ quoque interdum sequestrari solent, si de sponsalibus agatur, & metuatur, ne vis ipsis inferatur, & impediatur quominus liberam possint edere consensum; quo casu juxta cap. 4. de Sponsal. in domo, in qua nihil eas timere oportet, sequestrandæ sunt; donec de principali causa cognitum fuerit. Neque enim parentes puellas cogere possunt ad matrimonium contrahendum, ad quod præcavendum sequestrum necessarium est, Cocei loc. cit. cap. 2. §. 5. Cardinal. de Luc. ad Concil. Tridentin. discurs. 26. num. 40. & sequent.

Sequestranda etiam est puella, si sponsus eam injuste detinet, ut libere reclamare, & voluntatem suam declarare non possit: vel si a consanguineis est circumsepti, ut libertas voluntatis deficere videatur. Cothmann. vol. 1. respons. 11. num. 437. Cluden. de sequestr. cap. 8. caus. 7. & seq. Reusner. lib. 1. dec. 3. fere per tot.

Si duo contendat de sponsa, quam uterque contendit sibi matrimonio juri debere, lite pendente sequestranda itidem est puella, ne forte in præjudicium ejus, qui potentius jus habet, alterum admittat; Gonzalez ad cit. cap. 14. in fin. de Sponsal. Quod tunc potissimum obtinere debet, si puella orbata est parentibus, sub quorum custodia vivere possit. Alioquin parentibus potius relinquenda, sub gravissimo interdicto, ne alterutrum ex prociis ad puellam accedere permittant; c. 4. de Spon. duor. Cocejus cit. loc. cit. cap. 2. §. 2. Carpov. Jurisprud. Consistor. lib. 3. definit. 32. Multum tamen Judicis arbitrio relinquendum est. Quid enim si

Actor ostendat parentes alteri proco plus favere? Quid si monstret, ipsos parentes, præsertim matrem præponentem in causa esse, quominus sponsalia legitime contra hæc consummentur?

Denique si agatur de statu puellæ, quæ se virginem esse adhuc asserit, quum jam ab altero cognita esse perhibetur, sequestrum decernitur, *cap. 14. de Testam. &*

SERVITUS.

SUMMARIUM.

1 **S**ERVITUS nomen dupliciter accipitur, scilicet pro subjectione, & pro Jure.

2 Servitus ut sit quid sit.

3 Servitus ut sit dividitur in personalem, realem, & mixtam; & quid sit servitus personalis.

4 Quid sit servitus realis.

5 Quid sit servitus mixta.

6 Servitus realis, alia est urbana, & alia rustica, & que utraque sit.

7 Nomen prædii urbani in Jure quid veniat.

8 Prædium, cui servitus debetur, vocatur, Dominus, alterum autem appellatur serviens.

9 Servitus realis urbana adhuc est duplex, nempe affirmativa, & negativa, & qualis utraque sit.

10 Servitutes urbanae, tum affirmativæ, tum negativæ, plures sunt, & designantur, ad num. 12.

11 Servitus realis rustica etiam est duplex, scilicet nominata, & innominata: Servitus nominata est illa, que nomen habet à Jure impositum, & hujus sunt quatuor species, nempe Iter, Actus, Via, & Aqueductus.

12 Quid sit Iter.

13 Quid sit Actus.

14 Quid sit Via.

15 Quid sit Aqueductus.

16 Servitus rustica innominata que sit, & quotuplex sit.

17 Servitus realis dividitur insuper incontinuum, & quasi continuum, & discontinuum.

18 Que sit servitus realis continua, & discontinua.

19 Que sit quasi continua, & discontinua.

20 Que sit servitus realis continua, & discontinua, & habitatio.

21 Servitus mixta est triplex, nempe ususfructus, usus, & habitatio.

22 Quid sit ususfructus.

23 Quid sit usus.

24 Minus Juris est in usu, quàm in usufructu.

25 Quid sit habitatio.

26 Servitutum allegans tenetur eas probare.

27 Quodnam tempus requiratur ad præscribendam servitutem, sive personalem, sive realem, tam affirmativam, quàm negativam, tam rusticam, quàm urbanam, continuum, quàm discontinuum, & discontinuum, sive mixtam remissive.

28 In servitutibus affirmativis possessio acquiritur facta.

29 In servitutibus autem negativis, per prohibitionem ne aliquid fiat, & acquiescentiam prohibiti, non aliter.

30 Hinc dominus allegans præscriptionem in servitutibus negativis adversus ruditer tenetur probare prohibitionem, & patientiam, & obedientiam.

31 Unde in servitutibus negativis non incipit currere præscriptio, nisi à die prohibitionis.

32 In materia servitutum conventiones sunt observandæ, que tamen debent esse clara, & expressæ.

33 Via, seu transitus servitus, à partibus contrahentibus præstari debet.

34 Pretendens servitutem transitus debet probare transitum Jure servitutis successivo, cum potuerit esse Jure familiaritatis.

35 Ubi aliunde transitus haberi non possit, tenetur quibusdammodo transitum in suo fundo loquendo de transitu publico, in fundo alieno, transire.

- 38 Loquendo autem de transitu, seu usu privato, potest quidem quis transire per fundum vicini, si aliunde viam habere nequeat. At debet sibi precium estimatio, & est in electione vicini dare transitum in parte sibi benevolens.
- 39 Cessat autem servitus hujusmodi, si conset fuisse antiquitus praedictam aliam viam.
- 40 Et si id non conset, justificandum est unum transitum fuisse Jure servitutis credendo uti Jure suo, sciente, & patiente domino fundi, quod in dubio non praesumitur.
- 41 Servitus aquae ducenda non solum ex capite, vel fonte, sed etiam ex quacunque parte fundi constitui potest.
- 42 Et talis servitus aquae ducenda constitui potest, sive per continuum fluxum, sive per intervalla temporis, nempe pro certis diebus, & horis.
- 43 Item talis servitus constitui potest, ut aqua dividatur per mensuras, scilicet per uncias, & digitos.
- 44 Circa aquae cursum, quae sint specialiter attendenda.
- 45 In praedictum alterius non licet antiquam aquae cursum alterare.
- 46 Quamvis dominus, per cuius fundum aqua ducitur, rivum, & canalē mutare possit, hoc tamen solum permittitur ad effectum, ut aqua per rivum novum ducatur ratione commodioris usus sui praedii.
- 47 Aqua servitus non acquiritur ex cursu naturali, ejusque usu, etiam per mille annos fluxerit in fundum inferiorem.
- 48 Dominus fundi inferioris tenetur recipere aquam fundi superioris, si agatur de ejus naturali fluxu, vel decursu quem situs qualitas cavet absque industria, & opere manu facto.
- 49 Si autem agatur de aquae fluxu, seu decursu proveniente ex hominum industria, & opere manu facto, dominus fundi inferioris non tenetur recipere sibi praedictam aquam fundi superioris.
- 50 Servitus in ecclesia cadit sub Extravagant. Ambrosiosae.
- 51 Hinc servitus cruce, & aditus subterranei, servitus fenestrae, seu prospectus, servitus portae, seu transitus a domibus privatorum in ecclesias haberi non potest sine speciali Indulto Apostolico.
- 52 Additiones, ad num. 93.

SERVITUS nomen dupliciter accipitur a Juristis: Primo nempe pro subiectione, seu obligatione, qua res, seu persona unius est obligata alteri, ut ipsi quodammodo serviat; & in hoc sensu mancipia dicuntur premi servitute. Secundo autem modo accipitur pro Jure illo, quod ex parte alterius correspondet dictae obligationi, & in hac posteriori acceptione Jurisperiti frequentius sumunt servitutem, uti nos in praesenti, nempe pro Jure fruendi, vel utendi aliquo modo re aliena, vel aliquo circa eam impediendi.

2 Servitus ut sic est Jus, quo admittitur aliquid libertati, quam dominus in re sua habet, & id conceditur personae, vel rei alienae; Est in re communis, & desumitur ex l. Quoties ff. De servitutibus.

3 Servitus ut sic dividitur in servitutem personalem, realem, & mixtam. Servitus personalis, quae debetur a persona personae, est constitutio Juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subicitur: Sic expressè in §. Servitus Inst. de Jure personar. ubi nota quod ponitur ly contra naturam, quia, ut docent communiter Doctores cum Scoto in 4. dist. 46. quest. unica, quantum est de Jure naturae, omnes homines nascerentur liberi.

(Videatur lit. 21. p. 4. De servitute personali in eo agitur: ibique proponitur, quid sit servitus, unde hoc nomen originem traxerit, ac ejus quot sint species, quibus casibus servus domino obediēte teneatur, (Vid. add. hisp. nov. lit. N. pag. 23. col. 1.) & qualis sit domino in servos potestas; Vid. lit. D. pag. 99. col. 1. & verb. Sequestratio, num. 23. Animadvertēte, per leg. 1. contra naturam esse servitutem, etiam determinari, nam per leg. 2. tit. 32. ejusd. p. juxta eandem naturam dicitur nullam dari inter homines distinctionem. Ad rem

procurium ejusd. tituli. 23.)

Servitus realis, quae debetur a re rei, est quoddam Jus praedio inherens, & ipsius utilitatem respiciens, & alterius praedii Jus sive libertatem diminuens. Sic expresse Bartolus in l. 1. ff. De servitutibus ubi nota, quod nomine praedii intelliguntur etiam agri, vineae, domus, aliaque res servituti obnoxiae.

Servitus mixta, quae debetur a re personae, est Jus quoddam, quod habet persona aliqua, utendi fruendique rebus alienis, ut cum praedium alicujus servitutem debet alienis personis; Rota part. 1. deo. 199. num. 1. part. 3. deo. 239. num. 1.

Servitus realis, alia est urbana, & alia rustica. Servitus realis urbana est illa, quae debetur praedio urbano, sive ab urbano, sive a rustico praedio debeatur, dummodo urbano serviat. Pro dignoscenda enim qualitate servitutis realis inspiciendum est praedium, cui ea debetur, ut ejusdem conditionis sit, ac servitus; unde servitus realis erit semper urbana, si praedium, cui debetur servitus, sit urbana, quamvis a praedio rustico debeatur; servitus autem realis rustica est illa, quae debetur praedio rustico. Patet id ex tot. tit. Instit. ff. de servitutibus praediorum urbanorum & rusticorum.

Nomine praedii Urbani in Jure venit omne aedificium habitandi gratiam factum, sive ruri, sive in urbe existat una cum orto ipsi causa amoenitatis annexo, leg. Urbana 108. ff. De verb. signif. ibi: "Urbana praedia aedificia accipiuntur, non solum ea, quae sunt in oppidis, sed & si forte stabula sunt, vel alia memitoria in villis, & in vicis, vel si Praetoria voluntati tantum deservierint, quia urbanum praedium non locum facit, sed materia; proinde hortos quoque, si qui sunt in aedificiis constructi, dicendum sit urbanorum appellatione contineri." Et concordat §. Praedium 1. Inst. de servitutibus. Nomine autem praedii rustici venit id, quod colligendorum, vel percipiendorum causa fructuum factum est, ut stabulum, horreum, aget, & hujusmodi; quae non habitandi gratia erecta sunt, simulque ab aedificiis urbanorum praediorum separata; leg. Eo Jure utitur 4. ff. In quibus causis pignus &c. ibi: Stabula, quae non sunt in continentibus aedificiis, quorum praediorum ea numero habenda sunt, dubitari potest. Et quidem urbanorum sine dubio non sunt, cum a ceteris aedificiis separata sint. Et concordat citat. leg. Urbana 108. ff. De verb. signif. ibi: Plane si plurimum horri in redditu sunt, vinearum forte, vel etiam olivarum, magis haec non sunt urbana.

Praedium, cui servitus debetur, vocatur dominans. Alterum autem praedium, quod patitur servitutem, appellatur serviens. Sic communiter apud Juristas, & Rota part. 3. deo. 236. num. 7. & l. 1.

Servitus realis urbana adhaec est duplex, nempe affirmativa, & negativa. Servitus affirmativa est illa, quae exprimitur verbis affirmativis. Negativa est contra est illa, quae exprimitur verbis negativis. Communis.

Servitutes urbanae tum affirmativae, tum negativae, plures sunt, de quibus §. Praediorum 1. Instit. de servitutibus, leg. Si intercedat 1. leg. Urbanorum 2. leg. Est & haec 3. leg. Luminum 4. leg. Inter servitutes 15. leg. Fistulam 16. leg. Servitutes 20. leg. Si dominus 21. cum aliis similibus, ff. De servitutibus praediorum urbanorum, l. Altius 8. leg. Si in Aedibus 9. cum similibus, Cod. de servitutibus & aqua; atque per ordinem referuntur in Arbore servitutium, quae est praefixa lib. 8. ff. tit. 2. de servitutibus.

Et inter servitutes urbanas affirmativae signanter enumeratur servitus stillicidii avertendi, id est, Jus derivandi stillicidium domus suae in domum, vel aream vicini. Item servitus protegendae, id est, Jus, quo quis ex fundo suo urbano in solum vicini aquam, aut flumem, aut quisquillas ei projicere licet. Item servitus tignum immittendi, & est Jus, quo quis tignum, id est, trabem super parietem sui vicini immittere potest. Item servitus protegendae, & est Jus, quo alicui licet aedes suas protendere in solum vicinum, & sic in aream projicere ac porrigere mœnias, subgrandias, vel pensilibus ambulariis; ut tamen in vicino solo vel pariete non insi-

deant; nec conquescent; Protegere enim est tectum projicere, Maniana autem sunt quadam exterius porrecta aedificia, & subgrandia pars tecti ultra structuram aedium projecta, & praecipuim. Item servitus prospectus, servitus luminum, servitus altius tollendi, & hujusmodi, de quibus late in tit. Inst. ff. Cod. de servitutibus &c. & signanter in Legibus supradictis, praecipueque in leg. Urbanorum 2. ff. de servitutibus praediorum urbanorum, ibi: Uclbanorum praediorum Jura talia sunt; alius tollendi & officendi luminibus vicini. Item stillicidium avertendi in tectum, vel aream vicini. Item immittendi tigna in parietem vicini, & denique projicendi; protegendae; aeternae istis similia.

Inter servitutes urbanas negativae signanter connumeratur servitus stillicidii non avertendi, & est Jus, quod quis habet, ne vicinus stillicidium suum in domum, vel aream ipsius deriverit, seu faciat cadere, leg. Urbanorum 2. ff. de servitutibus praediorum urbanorum. Item servitus ne luminibus officiat, & est Jus, quod quis habet, ne alter luminaria sua per aedificationem aedium, vel plantationem arborum auferat, aut obscuriora reddat, l. Luminum 4. & leg. Inter servitutes 15. ff. de servitibus praediorum urbanorum. Item servitus officiat, & est Jus, quod quis habet, ne quid ei officiat ad gratiorem, & liberiorem prospectum, leg. Inter servitutes 15. ff. de servitutibus praediorum urbanorum. Item servitus altius non tollendi, & est Jus, quo quis potest inhibere vicino, ne altius aedificium extollat, citat. leg. Urbanorum 2. ff. de servitutibus praediorum urbanorum. l. Altius 8. Cod. de servitutibus, & aqua, l. Si in aedibus 9. Cod. eod.

Servitus realis rustica etiam est duplex, scilicet nominata & innominata. Servitus rustica nominata est illa, quae non habet a Jure impositum, & hujus sunt quatuor species, nempe iter, actus, via, & aqueductus, textu expresso in l. Servitutes rusticorum 1. ff. de servitutibus praediorum rusticorum, ibi: servitutes rusticorum praediorum sunt haec, iter actus, via, aqueductus, & concordat §. Rusticorum, Instit. de servitutibus, ibi: Rusticorum praediorum Jura sunt haec, iter, actus, via, aqueductus.

Iter est Jus eundi, ac ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi, aut vehiculum, textu expresso in cit. §. Rusticorum Inst. de servitutibus, & citat. leg. Servitutes rusticorum 1. ff. de servitutibus praediorum rusticorum. Id autem, quod dicitur de jumento, intelligendum est solum de jumento separato ab ipso homine; Nam qui habet Jus itineris, potest etiam super equum sedens, vel lectica portatus incedere 4. l. Qui sella 7. & l. Inter actum 12. ff. de servitutibus praediorum rusticorum.

Actus est Jus eundi, ac ambulandi hominis, agendi jumentum, vel vehiculum. Itaque qui habet iter, actum non habet, qui autem habet actum, habet etiam iter, eoque uti potest etiam sine jumento, textu expresso in cit. §. Rusticorum, & cit. l. Servitutes rusticorum.

Via est Jus eundi, & agendi, & ambulandi. Via enim continet in se iter, & actum, & insuper Jus trahendi tignum, seu trabem, aut saxum, & reclam hastam ferendi; cit. §. Rusticorum, & l. Servitutes rusticorum juncta Glossa ibid. verb. Continet, & concordat l. Qui sella 7. ff. eod.

Aqueductus est Jus ducendi aquam per fundum alienum, textu expresso in cit. §. Rusticorum, & cit. leg. Servitutes rusticorum ibi: Aqueductus est Jus aquae ducenda per fundum alienum.

Servitus rustica innominata est illa, quae non a Jure nomen habet impositum, sed ab actu denominatur, & haec etiam est multiplex. Prima dicitur aquae haustus, & est Jus hauriendae aquae de puteo vicini; §. Inter rusticorum 2. Instit. de servitutibus praediorum, l. Servitutes 1. §. 1. ff. de servitutibus praediorum rusticorum, l. Item Jus pascedi, & est Jus, quo in alieno pasco licet pascere boves, pecus, & equos praedii proprii causa, cit. §. Inter rusticorum,

& cit. l. Servitutes 1. cum sequentibus; ff. De servitutibus praediorum rusticorum. Item calcei coquenda, & est Jus, quo quis in fundo vicini ad utilitatem proprii praedii rustici potest coquere calcem, cit. §. Inter rusticorum, & cit. l. Servitutes. Item Arena fodienda, & est Jus, quo quis potest ex vicini fundo arenam, cretam, seu lapides effodere ad proprii rustici praedii utilitatem, cit. §. Inter rusticorum, & cit. l. Servitutes. & sic de similibus (Fere nihil ab antecedentibus discrepant leges 1. usque ad 7. tit. 31. part. 3. quamvis circa urbanas omnia exempla, quae ab Apctore referuntur, non reperiantur, lex 2. concludit sequentibus verbis: ibi: Oa aliqua circa casa semejante dertas que rea d' pro de los edificios. Ni fallor, in viae concessionē speciale quiddam ab Auctoris abest doctrina, invenitur seu exprimitur, utpote per leg. 3. determinatur latitudo ejus, videlicet qua constitutionis tempore fuerit signata: conventum sit nihil sit octo constabit pedibus: ceterum dum recto tramite via non dirigitur, ubi, ubi cursum flectitur, habebit sexdecim, ut commodē vehicula eundem prosequantur.

Servitus realis dividitur insuper in continuam, quasi continuam, & discontinuam. Communis Servitus realis continuam est illa, cujus causa, & usus perpetuo durat, vel actu, vel potentia circa continuum hominis operam, ut servitus aqueductus, tigni immittendi, lumen, & prospectum habendi, & hujusmodi. Communis Servitus quasi continua est illa, cujus usus perpetuo durat, potestate quidem, sed non actu; ut servitus stillicidii, servitus arenae fodienda, calcei coquenda, & hujusmodi. Communis Servitus discontinua est illa, cujus usus est in hominis actione, quae cum assidua non sit, nec esse possit discontinua dicitur, ut iter, actus, aquae haustus, & hujusmodi. Communis Servitus mixta est triplex, nempe usufructus, usus, & habitatio. Communis Usufructus est Jus alienis rebus utendi, fruendi, & salva eorum substantia. Communis Usus est Jus utendi tantum rebus alienis salva eorum substantia. Communis per text. in §. Instit. de usu, & habitatione, & in l. Cui usus 2. ff. eod. Unde minus Juris est in usu, quam in usufructu, & cui usus alicujus rei legatus est, uti quidem potest, frui vero eadem non potest. Communis, textu expresso in cit. §. 2. Instit. de usu, & habitat. ibi: Minus autem Jus est in usu, quam in usufructu. Nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quam ut oleribus, pomis, floribus, foedo, stramentis, & lignis ad usum quotidianum utatur. In eoque fundo haecenus ei morari licet, ut neque Domino fundi molestus sit, neque iis, per quos opera rustica fiunt, impedimento, neque ulli alii Jus, quod phabet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest; cum is, qui usufructum habet, possit haec omnia facere, & concordat leg. Plantum 12. ff. de usu & habitatione, ubi varie iter exemplificatur, & signanter de illo, cui usus pecorum relictus est, qui potest quidem pecoribus uti ad stercoreandum, & hujusmodi: At non potest pecorum fœcus, vel lanam, aut lac, nisi in modica quantitate, & quatenus ad victum quotidianum opus habet, ibi §. 2. Sed si pecoris ei usus relictus est, puta gregis ovilis, ad stercoreandum usum dumtaxat, Labeo ait, sed neque lana, neque agnis, neque lacte usum, haec enim magis in fructu esse. Hoc amplius etiam modico lacte usum puto, neque enim tam stricte interpretande sunt voluntates defunctorum. Et sic de aliis consimilibus, ut in cit. l. Plantum videre est.

Habitatio est Jus alienas aedes inhabitandi, easque etiam commodandi, & locandi. Communis, per text. in §. Sed si cui §. Instit. de usu, & habitatione, ibi: Sed si cui habitatio legata, sive aliquo modo constituta sit, neque usus videtur, neque usufructus, sed quasi proprium aliquod Jus, quamquam habitatiorem habentibus propter rerum utilitatem secundum

Marcelli sententiam nostra decisione promulgata permissum non solum in ea degere, sed etiam aliis locare. (Ceteræ decisiones quæ numerum primum, & vigesimum complectuntur, ut in plurimum doctrinam adstruunt præcedentem; verumtamen, ut plus innotescat, & infrascripta majorem claritatem accipiant, inseritur quidquid in eis continetur.)

Per leg. 8. de usufructu, servitutum subsistere, licet prædiorum alius fuerit effectus dominus, servientis, seu dominantis: (Vid. leg. 6.) nam per dominii mutationem nunquam finitur, nisi ad tempus, vel signanter ad alicujus vitam sit constituta; ab aliquo concessa; (leg. 9.) hæredes omnes tenentur in solidum sunt, non pro parte conveniendi, nisi post factam divisionem bonorum alicui in totum prædium, seu ædificium sit adjudicatum; siquidem hoc casu actio in eum est intendenda; sicut prædii servientis, dominantisque dominus tenentur, ita ejus successores; sunt imponendæ (leg. 10.) servitutes ab ipsis (vid. leg. 13.) rei domino: cum sint plures, omnium voluntas debet intercedere: aliis consentientibus, dissentientibusve aliis, illi dissentire nequeunt, nisi rati habitio præcedat, reclamare poterunt, nullum hisce præstat nocumentum aliorum assensum; etsi pleno jure prædiorum futuri esse domini videantur quibus est servitutum imponendi facultas, non delegatur (leg. 11.) feudatario, & emphyteutæ: (Ad rem leg. 13. ibi: como suprasim) eandem vim obinet ac si à directo domino esset imposita, hoc est, solum rei dominus, nihilominus in fundi emptore ante traditionem, nam ex conventionione sustinetur; res, in cuius gratiam (leg. 12.) servitus est constituta, ut ejus alienatio vires accipiat, illa quoque alienanda, nisi servientis domino placuerit, vel ad rigidum aquæ sit servitus, eo quod, postquam in prædio meo defluerit, cum eodem objecto vicino potest concedi, in favorem ipsius constituitur (leg. 13.) super re ipsius propria nequit constitui, quia cum res sua jure servitutis nemini serviat, alteri est concedenda, cujus prædium, seu ædificium commodum, seu utilitas sequatur: à rebus sacris, sanctis, & religiosis, nec non publico usui destinatis servitutes excluduntur, eo quod eisdem imponi prohibitum existit; tripliciter constituntur, partium consensu scilicet voluntate in alicujus testamento expressa, longique (leg. 14.) temporis usu; per decem annos inter presentes, vigintique inter absentes, bona fide non deficiente, servitus causam continuam, vel quasi, habens acquiritur; ceteræ autem causam eandem non habentes (leg. 15.) per tempus, cujus initii memoria non extat; (ad rem vid. lit. J. pag. 347. in add. hisp. cum leg. fin. tit. 13. lib. 3. Ord. Reg. quæ ibi cit. convenit) per non usum amittitur servitus; quicumque in urbanis per decem (leg. 16.) inter presentes, viginti inter absentes ea non utitur, dummodo, bona fide adstante, constitutionis causa deficiat, ex gr. in servitute trabes amittendi, easdem amoveat: in rusticis inter causam discontinuam, continuave habentes datur discrimen, quia, si de illis tractatur, sive inter presentes, seu absentes, per viginti amittuntur, si de istis, per immemorabile tempus; amissio etiam procedit, (leg. 17.) si prædii dominans dominus remissionem concesserit, multi cum fuerint, debent omnes consentire: quando à servientis domino prædium dominans acquiritur, seu viceversa, non subsistit, ita ut, tametsi ex istis quolibet alienationem patiatur, reviviscere nequit, subsistentiam habebit tamquam noviter constituta; quæ in dominante communi prædio detur observantia, si ante, aut post factam divisionem ex sociis unus tantum utatur, (l. 18.) ostenditur, prodest non utenti primo in casu, in secundo nullum eidem afferit emolumentum; nihilominus sit generatio declaratum quomodo servitutes turbant perantur, videtur quidquam specialitatis (l. 19.) in servitute alius non tollendi, atque in aream vicini stillicidium, seu aquam recipiendi contineri, nam hic si ædificatio, illicque contra debitam servitutum non ædificandi alius permittitur actio, à jure suo in utraque cadit uterque.

Est actum nuncupque de modis acquirendi, & amittendi servitutes: nil pertingit de usufructu, usu, & habitatione.

Leges 20. 21. 22. 23. & 27. ejusd. tit. 31. p. 3. plene confirmant quæ de his omnibus proxime inseruntur; aliquid amplius adnotabitur: omnes re fruuntur, sed salva ejus substantia: usufructuario fructus; redditusque omnes competunt: quidquid voluerit, ex eis officere valebit: usurarius quod sibi & familia fuerit necessarium ex fructibus capiet, plus nil: verum ædium usu concessio, eis uti debet, & cum conjuge, filiis, ac familiaribus ceteris poterit; servorum, belluarumque si fuerit elargitus; ad proprios labores, & servitia in suis rebus hocce quilibet destinabit: commodare, seu locare prohibetur: si est sermo de pecoribus, agros horum stercore excollet: ex lacte, lana, caseo, ac fetu quidquid judicet sibi, & familia necessarium, dumtaxat fruatur; in habitationis concessione, aut ædium usu est aliqua distinctio, eo quod cui illa conceditur, cum familia habitare non solum poterit, sed etiam eandem locare, dummodo conductores bonæ sitæ existimationis, in ædium usu vid. supra proxim. in omnibus de re bene utenda, antequam uti incipiant, satisfactio præcedenda; (Ad rem leg. 15. tit. 9. part. 2. tit. 15. lib. 3. tam Leg. quam Audi. Acc. Recop. Castell. De lapidicinis in prædio, cujus usufructus datur, crescentibus. Vid. leg. 27. tit. 11. part. 4. super eadem præmeditabitur, decisione; referre non omittitur quæ sit obligatio ex parte eorum videlicet usufructuarii, vel usuarii, ut res semper salva domino servetur: ille colere, & reficere agros, ædificiaque tenetur: in mortuorum pecorum loco, vitis, arborisque alia subroganda, nam ex agnatis capitibus defectum supplet usufructuarius, atque pro ceteris succis, seu extractis alias substituit: decimas & tributa solvet: verum usurario non est ulla obligatio, nisi fructus omnes in usu consumat.

Leges 24. 25. 26. & 27. quomodo hæ servitutes finiantur, decernunt: amittitur usus, & usufructus morte naturali, aut civili eorum quibus fuerint concessi: si per decem, & viginti annos inter presentes, & absentes non utantur: si jura similia alienentur; per prædictos modos non solum extinguuntur, verum etiam ædibus incendio combustis, seu in totum destructis: ceterum si civitati concedatur, nisi centum anni sint elapsi, quando absque temporis restrictione constituitur, subsistit: extinguitur, deserta, ararumve passa, si ejus incolæ majorve eorum pars alio se conferant, inhabitandi causa, quia tunc salvus remanet; denique habitatio solum amittitur morte, aut remissione. Hæc sunt quæ dicto titulo circa servitutes notantur, non officit perlectio leg. 20. 21. 25. 26. 27. 28. & 31. tit. 11. part. 4. Vid. verb. Dos, art. 1. cum rem. ibid.

Servitutum allegans tenetur eam probare. Rota 28 part. 14. recent. decis. 416. num. 2. part. 18. tom. 2. decis. 697. num. 3. Et quidem plene, & concludenter. Rota part. 5. tom. 2. decis. 588. num. 6. decis. 590. numer. 1. part. 14. decis. 898. num. 1. Nec sufficit quasi possessio. Rota p. 4. tom. 2. decis. 101. num. 2. part. 17. decis. 31. num. 14. Et quidem probare debet eam acquisivisse, vel ex pacto, vel ex præscriptione. Rota part. 4. tom. 2. decis. 101. num. 3. part. 14. decis. 398. num. 3. & decis. 416. num. 3.

Quodnam tempus requiratur ad præscribendam servitutum, sive personalem, sive realem, tam affirmativam, quam negativam, tam rusticam, quam urbanam continuam, quasi continuam, & discontinuam, sive mixtam? Vide verb. Præscriptio §. 5. à num. 14. ad 29.

In servitutibus affirmativis possessio acquiritur facto; leg. Si quas t. leg. Si equam 2. Cod. de servitut. & aqua; Gratian. tom. 11. discept. 89. num. 19. Panimol. decis. 24. adnot. 1. num. 2. & alii passim.

In servitutibus autem negativis acquiruntur per prohibitionem, ne aliquid fiat, & acquisitionem prohibiti; leg. Sequitur, §. Si viam. ff. de usucap. leg. Qui luminibus, ff. de servitutibus urbanis prædior. bald. in leg. 2. num. 54. pers. Sed

Sed queritur: An per obedientiam ibi, & hoc verum, C. de servit. & aqua; Panimol. loc. cit. num. 2. Gratian. loc. cit. num. 18. 19. & 20. Burat. decis. 38. numer. 4. & alii.

Hinc dominus allegans præscriptionem in servitutibus negativis adversus subditos, tenetur probare prohibitionem, patientiam, & obedientiam, Gratian. disceptat. 564. à num. 54. Atili. decis. 388. num. 10. Theaur. decis. 16. num. 8. Aym. cons. 861. num. 6. Ferentill. in addition. ad Burat. decis. 38. num. 8. Panimol. loc. cit. num. 1. & alii. Unde in servitutibus negativis non incipit currere præscriptio nisi à die prohibitionis. Glossa celebris communiter recepta in leg. Qui luminibus, ff. de servitutibus urbanis prædior. Rota p. 5. tom. 2. recent. decis. 265. num. 36. part. 7. decis. 253. num. 59. Ripa in cap. Cum Ecclesia Sutrina, num. 50. de caus. poss. & proprietat. Burat. decis. 38. num. 4. Panimol. cit. num. 9. & alii passim.

In materia servitutum conventionis sunt servandæ. Rota part. 4. tom. 1. decis. 250. num. 2. Quæ tamen debent esse clare, & expressæ. Rota part. 19. recent. decis. 153. num. 1.

Vix, seu transitus servitus à partibus contrahentibus præstari debet. Rota part. 16. recent. decis. 402. num. 1. Pretendens servitutum transitum debet probare transitum jure servitutis successive, cum potuerit esse jure familiaritatis. Rota p. 14. recent. decis. 398. numer. 5.

Ubi aliunde transitus haberi non possit, tenetur quis dare transitum in suo fundo, loquendo de transitu publico, quia nempe via publica sit corrupta seu perempta. Cardin. de Luca de servit. disc. 23. sub n. 3. discurs. 94. num. 4. Loquendo autem de transitu, seu usu privato, potest quidem quis transire per fundum vicini, si aliunde viam habere nequeat: Ad debet solvi pretii æstimatio, & est in electione vicini dare transitum in parte sibi benevola. Rota p. 4. recent. tom. 2. decis. 101. num. 25. & 26. p. 14. decis. 398. num. 11. & 12. Card. de Luca de servit. disc. 23. sub num. 8.

Cessat autem servitus hujusmodi, si constat fuisse antiquitus prædicam aliam viam. Rot. p. 4. tom. 2. dec. 101. numer. 27. Et si id non constat, judicandum est usum transitus fuisse jure servitutis credendo uti jure suo, sciente, & patiente domino fundi, quod in dubio non præsumitur. Card. de Luca de regularibus disc. 136. num. 3. de servit. disc. 95. num. 3.

Servitus aquæ ducenda, non solum ex capite, vel fonte, sed etiam ex quacumque parte fundi constitui potest. Communis, textu expresso in leg. Servitus aquæ ducende 9. ff. de servit. prædior. rusticor. ibi: "Servitus aquæ ducenda, vel haurienda, nisi ex capite, vel vix forte constitui non potest. Hodie tamen ex quocumque loco constitui solet."

Et talis servitus aquæ ducenda constitui potest, sive per continuum fluxum, sive per intervalla temporis, nempe per certis diebus, & horis; leg. Rusticorum 2. §. Si aquæ ductus, ff. de servit. prædior. rusticor. l. Si constituta, leg. Si is, qui in princip. ff. Quomodum servitus amittatur, cum alius per Cæpol. de servit. rusticor. præd. cap. 86. num. 52. Item talis servitus constitui potest, ut aqua dividatur per mensuras, scilicet per uncias, & digitos, leg. Cum essent 33 leg. Lucius 37. ff. de servit. præd. rust.

Circa aquæ cursum tria sunt specialiter attendenda, scilicet lex, id est, pactum, natura, & vetustas, adeo ut lex, ac natura alterari non debeat, & quando apparet de vetustate, & antiqua consuetudine, illi omnino standum sit; leg. Si cui aqua 1. §. 1. §. 12. & §. 23. ff. de aqua, & aqua pluvie arcenda; Bero consil. 144. num. 23. circa med. vol. 3. & alii passim.

Hinc in præjudicium alterius non licet antiquum aquæ cursum alterare; leg. unica, vers. Generaliter, ff. Nequidem in flumin. public. leg. 1. §. Non autem, ff. de flumin. Rota part. 4. tom. 2. recentior. dec. 61. n. 2. Menochius consil. 999. num. 12. & alii passim.

Quamvis enim dominus, per cujus fundum aqua ducitur, rivum, & canale mutare possit; juxta Glos-

sam communiter receptam in leg. Si cui, in ultim. Glos. ff. de servit. Hoc tamen solum permittitur ad effectum, ut aqua per rivum novum ducatur ratione commodioris usus sui prædii, non autem ad effectum faciendi novum opus, & dummodo hujusmodi mutatio non noceat habenti servitutum aquæ ducendæ; leg. Prætor ait 1. in princip. ff. de rivis; Glossa in leg. 8. Si cui, ff. de servit. cum aliis cumulatis per Bero cons. 144. num. 20. volum. 3.

Aquæ servitus non acquiritur ex cursu naturali, 47 ejusque usu, etiam si per mille annos fluxerit in fundum inferiorem propter libertatem ex eodem naturali cursu conservatam, cum res animæ expert, prout est in aqua, nullum Jus tribuere possit, nisi concurrat actus hominis, ad text. in lege Proculus, ff. de damnis infectis. Rota part. 4. tom. 1. recent. decis. 825. num. 3. & sequent. & sæpe alibi, Mascard. de probationib. conclus. 12. 4. num. 14. Veronen. de servit. aquæ ducti. n. 57. controver. 310. numer. 156. Marin. controu. 16. Cancell. variar. resol. part. 3. cap. 4. numer. 241. & alii passim.

Dominus fundi inferioris tenetur recipere aquam 48 fundi superioris, si agatur de ejus naturali fluxu, vel decursu, quem situs qualitas causet absque industria, & opere manufacto; In tali enim casu dominus fundi inferioris prohibere non potest, ne aqua pluvialis, vel alla fundi superioris in eum ducatur; leg. Si cui 1. §. 10. 13. 23. ff. de aqua, & aqua pluvie arcenda; leg. Si aquæ ductus 47. ff. de contrahend. emptio. Rota part. 14. recent. decis. 461. num. 10. Surdus consil. 17. num. 14. & 27. consil. 23. num. 9. Card. de Luca, & de servitutibus decis. 93. num. 3. cum aliis ibi citatis. 49 Item agatur de aquæ fluxu, seu decursu proveniente ex hominum industria, & opere manufacto, dominus fundi inferioris non tenetur recipere sibi præjudicalem aquam fundi superioris; leg. Si cui aqua 1. §. 1. & 13. ff. de aqua, & aqua pluvie arcenda. Sic Cardinal. de Luca loc. cit. num. 3. cum pluribus aliis ibi citatis, ubi, ut supra, conciliat leges, quæ in hoc videntur esse contrariæ.

Servitus in ecclesia cadit sub Extravagant. Ambitione, Cardin. de Luca, de servitutibus disc. 17. per tot. de alienat. disc. 18. num. 8. de præeminent. disc. 26. numer. 13. & alii communiter; adeoque neque ei servitus passiva imponi, nec activa alienari potest sine beneplacito Apostolico. Quaranta in Summa Bullar. verb. Alienatio, num. 22. Corrad. prax. dispensat. l. 9. cap. 4. num. 15. Monacell. tom. 1. tit. 5. formul. 15. n. 20. ubi refert, sic expresse declarasse Sacri. Congreg. Concil. in Albanens. 21. Junii 1698. in qua agebatur de impositione servitutis immitendi tigna, & appodiandi super muros Conventus PP. Minorum Conventualium. (Vid. verb. Alienare.)

Hinc servitus cryptæ, & aditus subterranei, servitus fenestræ, seu prospectus, servitus portæ, vel transitus à domibus privatorum in ecclesias, haberi non potest sine speciali indulto Apostolico. Vid. verb. Ecclesia, art. 5. verb. Fenestræ, verb. Porta, verb. Prospectus, ubi afferuntur ad id decreta.

Sufficere hic arbitramur, si aliqua addamus de servitutibus realibus in genere.

Reales servitutes à prædiis dominantibus dicuntur 53 vel urbanæ, vel rusticæ. Prædia autem dicuntur vel urbana, vel rustica, ratione usus, & destinationis.

Utilior est servitutum distinctio in affirmativas, quæ 54 in patiendo, & negativas, quæ in non faciendo consistunt. Illæ quasi traditione acquiruntur, hæc nuda promissione. Illæ præscribuntur ordinario modo, hæc vero requirunt prohibitionem alterius cum servitutis acquisitione conjunctam.

Denique ex male intellecta, leg. 14. ff. de servit. 55 Doctores distincterunt continuas à discontinuis; illas dicentes, quarum usus continuo adest; hæc vero, quæ non habent certum continuumque exercitium, & proinde hæc impræscribiles dicunt, non illas.

In omni vero servitute reali quatuor necessaria 56 sunt. I. Legitima constitutio à parte Concedentis. II. Legi-

giltima acquisitione respectu Acquirentis. III. Duo eaque vicina pradia, quorum alterum alteri prestat utilitatem. His addunt. IV. causam perpetuam.

57 Quod ad primum attinet, constituitur aliquando servitus a Judice; leg. 22. §. Famil. Eriscund. ut plurimum vero a privato. Hic ut legitime constituat servitutem, debet habere dominium irrevocabile pradii; qui enim revocabile habet dominium, vix in sui prajudicium servitutem constituere valet. Confer Stryk in usu modern. Pandect. lib. 8. tit. 1. §. 10. Tum habere debet dominium totius rei. Rei etenim communi nec pro parte sua imponere dominus potest servitutem, l. 2. ff. de serv. l. 6. §. 1. ff. comm. prad. Addi Donell. comment. 61 jur. civil. lib. 11. cap. 9. lib. D. sequent. & liberam de iure potestatem disponendi habere debet. Fit inde, quod proprietarius non aliter, quam cum consensu usufructuarii, imponere servitutem potest fundo usufructuario, per leg. 15. ff. de usufruct. ubi pro Nequidem legi debet Equidem, ut leg. 6. eod. declarat Bynkersboek lib. 3. oberv. 11.

62 Quod vero concernit secundum, de jure Romano tantum quilibet sibi servitutem acquirere poterat; leg. 5. Cod. communi prad. Sed aliter hodie. Vide Stryk in usu modern. Pandect. commun. prad. §. 5. Schilt. exercit. 18. §. 35.

63 Acquiritur ultima voluntate, adeoque statim a morte testatoris transit; leg. 19. §. 1. ff. quemadmodum servit. amit. Inter vivos per expressas conventiones accedente in affirmativis quasi traditione, seu patientia, & usu, vel inductione in pradium. Ipso facto, seu tacita voluntate non facile constituitur; leg. 36. ff. de servit. pradior. urban. leg. 1. ff. de servit. legat. Consule Herrium, dissert. de servit. facti. constitut. nisi usus rei legatae forte inutilis; leg. 30. ff. de servit. prad. urban. leg. 7. pr. leg. 10. C. comm. prad.

66 Acquiritur item prescriptione; Si contra ipsum dominum possidentem, sine titulo servitus exercetur, accedente scientia & patientia ejus; leg. 1. pr. Si servit. vind. leg. 2. C. de servit. Tempus immemorabile olim vice tituli erat; leg. 1. in fin. leg. 2. princ. §. 5. 6. & 7. leg. 23. in fin. ff. de aqua, & aqua plu. ar. cens. Jure novo sufficit longissimi temporis prescriptio. Si a non domino alteri constituta est bona fide accedente, & titulo etiam 10 vel 20. annis acquiritur; leg. 2. in fin. Cod. de prescript. longi temp. Sed in discontinuis, ut plurimum immemorabile tempus hodie desiderant, quod per errorem in quibusdam locis introductum; Str. k. in usu modern. Pandect. tit. de servit. §. 6. Muller. ad Struv. exerc. 13. thes. 39. lit. K.

71 Quoad tertium inter duo pradia desideratur vicinia; leg. 39. ff. de serv. prad. urban. leg. 5. ff. de serv. prad. rust. ut non semper magis immediata esse debeat, nisi quam natura rei postulat; leg. ultim. ff. de servit. prad. rustic. leg. 1. leg. 14. ff. de servit. prad. urban. Franzk ad tit. ff. de servit. num. 28. & seq. Adde Donell. Commentar. Jur. civil. lib. 17. cap. 2.

73 Requiritur preterea, ut alterum alteri prestat utilitatem, quae non tantum ex commodo, sed etiam luxu civitatum aucto ex amonitate estimatur, ob quam etiam vicinis saepe interesse potest; leg. 15. ff. de serv. leg. 3. §. 1. ff. de aqu. quod. & assisto. Noodt. lib. 1. probabil. jur. capit. 2. praesertim in locis, in quibus voluptas in pretio est, in quibus meliorem pradiorum causam faciat; leg. 6. ff. de servit. prad. rust. Id vero ubi non sit, non est servitus realis; leg. 8. princ. ff. de servit. Praestat autem utilitatem ordinare omnibus fundi partibus; leg. 23. §. 3. ff. de servit. pradior. rust. Similiter ubi indefinite concessa totus fundus servit; leg. 21. eod. Civiliter tamen alter servitute uti debet; leg. 9. ff. de servit. Adeoque legatarius audiendus, si haeres per certam partem fundi velit servitutem assignare; leg. 26. ff. de servit. prad. rust. Aliquando etiam per arbitros haec res determinatur. Confer. 80 Mev. part. 3. dec. 372.

81 Notandum vero, quod in utilitas est praestanda, ut alterum pradium aliquid patiat, aut non faciat; De jure enim Romano nulla in faciendo consistit ser-

vitutis; leg. 15. in fin. ff. de servit. Promissio haec operatur obligationem mere personale, quae tertium possessorem non stringit leg. final. in fin. ff. de contro. emp. Adi Stryk in usu modern. Pandect. tit. de servit. §. 3. Num autem moribus servitus in faciendo consistere queat, vide Titium de servit. in faciend. consisti.

Reliquum est, ut de quarto disseramus. Requiritur servitutes causam perpetuam, seu naturalem; leg. 28. ff. de servit. pradior. urb. quia servitutes natura sua sunt perpetuae. Admissa vero fuerunt jure praetorio ex aequitate contra servitute uti, nisi ad tempus fuerit constituta; leg. 4. ff. de servit. Quin & hodiernis moribus non amplius hoc quantum requisitam in usu est. Qua de causa servitus foraminis hodie datur; Stryk in usu modern. tit. de servit. pradior. urban. §. 18.

Effectus constitutae servitutis est a parte servientis praedii, quod nihil possit facere in praedij dominantis, leg. 14. ff. de prad. rustic. Omnia concedere debeat, sine quibus servitus exerceri nequit; leg. 20. §. 1. ff. de servit. prad. urban. A parte dominantis; quod perpetuo possit servitute uti, nisi ad tempus fuerit constituta; leg. 4. ff. de servit. non vero alii rursus concederes; leg. 44. ff. Locati, aut ad praedii necessitatem eam extendere; leg. 24. ff. de servit. prad. rust. quatenus praedio servientis inde noceret; dist. leg. 24. Pactis tamen plus concedi potest, quam servitutis ratio permittit; leg. 33. ff. de servit. prad. rustic. Noodt lib. 1. probabil. cap. 31. E

SIGILLUM.

SUMMARIUM.

1. Signatum pro annulo, & annulus pro sigillo usurpabatur antiquitus.
2. Sigillorum usus fuit antiquissimus penes Principes pro jurisdictione communicanda subditis per annui traditionem.
3. Immo usque ab origine mundi hoc annulus pro obsignando fuisse tradunt multi.
4. Sigilli nomen unde deducatur.
5. Sigillum quid sit.
6. Sigillum debet esse tale, ut deducatur in notitiam sigillantis.
7. Et si continet imaginem, debet imago esse conformis originali.
8. Sigillum dividitur in authenticum, in non authenticum, & quale sit utrumque.
9. Quatuor sunt, quibus redditur sigillum vacillans, ac detrahatur ejus fidei; & assignantur usque ad n. 12.
10. Sigillum dividitur insuper in publicum, & privatum, & quale sit utrumque.
11. Sigillum probabilius non plene probat, nec plenam facit fidem sine subscriptione sigillantis in testamentis scriptis, sicut & in aliis casibus, ubi agitur de magno praedijudicio, aut de Jure, vel consuetudine requiritur subscriptio.
12. Opposita autem sententia est etiam probabilis.
13. Scripturae, seu instrumenta, quae habent sigillum authenticum, seu publicum, plene probant.
14. Scripturae autem sigillo privato munita probant quidem, & valent in praedijudicium illorum, qui ea scripserunt; Non vero ad commodum eorum, nisi ab adversario fuerint approbata.
15. Testamenta, privilegia, & hujusmodi, in quibus sigillum est de solemnitate, & substantia actus, absque dicto sigillo non habent vim probandi.
16. Extra autem dictos casus, ac regulariter loquendo, sigillum in instrumentis ad substantiam actus non adhibetur, sed solum ac faciliorem ejusdem actus probationem.
17. Sigillans scripturam videtur fateri omnia contenta in ipsa.
18. Sigillum cum propriis insignibus habere debent omnia Col-

Collegia, Conventus, Praelati, Abbates, Archiepiscopi, & Superiores omnes, ac Officiales, & eo amantur debent pro scripturis authenticis.

22 Sigillo auro, vel argenteo uti non possunt Regulares.

23 Minister Generalis O. S. P. N. Francisci de Obervantia legitime usus fuit, & uti potest sigillo cum inscriptione Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum.

24 Afferuntur ad id Decreta.

25 Addit. ex aliena manu, ad num. 33.

Sigillum pro annulo, & annulus pro sigillo usurpatum fuisse antiquitus ex Tacito, & aliis probat Cironius ad tit. De his, quae sunt a majori parte capituli, & patet etiam ex utroque Jure, ut in cap. In nomine Patris n. dist. 73. & in leg. Signatorius 74. ff. de verbor. signific. & leg. Argumento 25. §. Ornamenta. ff. de auro, & argento legato. Idque etiam docent plures alii Doctores cum Cardinali Petra tom. commentar. ad constitut. Apostol. §. 3. Proemiali num. 48.

Sigillorum usus fuit antiquissimus penes Principes pro Jurisdictione communicanda subditis per annui traditionem, ut patet ex lib. Estier, cap. 3. ibi: "Tullius ergo Rex annulum, quo utebatur, de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agaghosti Judoeorum, dixitque ad eum, argentum, quod tu polliceris, tum sit, de populo age, quod tibi placet. Et infra: Literae signatae ipsius annulo missae sunt per Cursores Regis ad universas provincias." Et ibid. cap. 8. expresse habetur: Scribitis ergo Judaeis sicut vobis placet ex Regis nomine signantes literas annulo meo. Et 3. Reg. cap. 31. habetur quod Jezabel Achabi Samariae Regis uxorem, literas, quibus Naboth injuste mortis tradi imperabat, regio sigillo obsignavit, ibi: Scripsit itaque literas ex nomine Achab, & signavit eas annulo ejus, & misit ad majores natu, & optimates, qui erant in civitate ejus.

Immo usque ab origine mundi hoc annulus pro obsignando fuisse constat ex Genes. cap. 38. ubi habetur, quod Judas Thamar annulum dederit pignoris, & fidei loco. Nam si vocem hebraicam attendamus, qua fuit usus Moyses ibidem, quae fuit Cotam, sigillum significat, & ob hoc a Moyse fuit verbum illud usurparum, ut tenet Polyd. Virg. de invent. rerum, lib. 8. cap. 2. relat. ab Eminentissim. Cardinal. Petra loc. cit. num. 51.

Sigilli nomen a parva statua derivari putat The-saur. lib. 2. quest. forens. 100. num. 4. & sequenti. eo quod parva statua in ipsis sigillis adhibeantur: At vero alii diminutivum nomen a signo derivari praetendunt, nam in cognitionem alterius, scilicet curvis est sigillum, deducit; ex Gloss. in leg. Pediculis 34. ff. de auro, & argento legat. Hoping. de Jure sigillorum, cap. 1. §. 1. num. 6. Card. Petra loc. cit. num. 47. Unde sigillum impretariarum accipitur pro imagine, quae cera impressa literas obsignamus. Sicque in hac acceptance dicuntur literae sigillatae, id est, sigillo apposito clausae, obsignatae, seu munita. Calepinus, verb. Sigillum.

Sigillum igitur est signum, seu signaculum certis notis impressum, leg. Ad testium 22. §. Signum, ff. Qui testamenta facere possunt, leg. Omnibus 1. §. 2. leg. Tabularum 2. §. 4. ff. Testamenta quemadmodum aperiantur, Hoping. citat. cap. 1. §. 3. Card. Petra. loc. cit. num. 75.

Et sigillum debet esse tale, ut deducatur in notitiam sigillantis, arg. leg. Stigmata 3. cod. de Fabricensibus. Et si continet imaginem, debet imago esse conformis originali; alias si sit valde difformis, redderetur scriptura suspecta de falso. Scaccia de Jadic. lib. 1. cap. 64. num. 17. Qua ratione Pontifex Innocentius III. arguit falsitatem privilegii, quia sigillum non continebat figuram sigillantis, cap. Inter dilectos 6. §. Sed contra privilegium, de fide instrum. ibi: "Unde non Episcopi, sed Imperatoris videbatur fuisse sigillum, quod in una medietate Caesaris imaginem exprimebat, & in altera medietate praesumebatur, vel filii, vel conjugis imaginem habuisset." Gonzalez ibidem, Hoping. loc. cit. cap. 8. §. 1. Borel. lib. 2. de Magist. edit. cit. 3. num. 13. Card. Petra loc. cit. n. 77.

Sigillum dividitur in authenticum, & non authenticum. Sigillum authenticum est, quod multorum auctoritate comprobatur est, seu quod est certa fidei: Istud enim vocabulum authenticum ponitur pro re certa fidei, seu quae multorum auctoritate comprobata est, ut notant Spigelius, & Joannes Calvinus in lexico Juris verb. Authent. Sigillum non Authenticum: est contra est illud, quod non est certa fidei, sed ejus fides vacillat Colligitur ex cit. cap. Inter dilectos 6. de fide instrument. ubi Abbas num. 4. ex ipso textu notat, quod quantum sunt, quibus redditur sigillum vacillans, ac detrahitur ejus fidei.

Primo scilicet, quando sigillum non congruit in sculpturis dignitatis sigillantis, non enim potest rationabiliter praesumi sigillum esse illius, cui adscribitur, si sibi in imagine insculpta non convenit, ut expresse declaratur in cit. cap. Inter dilectos.

Secundo quando literae sigilli sunt ita corrossae, vel sculpturae ita consumptae, ut ex eis oratae aequivoce, nec aliter possit certificari sigillum esse illius, cui adscribitur, cit. cap. Inter dilectos.

Tertio quando sigillum patitur ita enormem fracturam, ut ex residuo non possit clare cognosci, cujus sit. Sic colligitur ex cit. cap. Inter dilectos.

Quarto quando sub sigillo charta reperitur perforata, & per glutinum novae cerae sigillum illud ipsis chartae connexum, ut expresse habetur in cit. cap. Inter dilectos, & notant ibi Doctores passim.

Sigillum dividitur insuper in publicum, & privatum. Sigillum publicum est illud, quod publica auctoritate nititur, quia nempe retinetur a personis publicis, v. gr. Principe, Magistratu, Episcopo, Capitulo, Judice, & hujusmodi pro communicando robore scripturis ad suam jurisdictionem, seu officium pertinentibus, de quibus sigillis loquuntur Doctores ad c. Scripta vero authentica 2. de fide instrum. & Glossa ib. verb. Sigillum. Sigillum autem privatum est illud, quod apponitur a persona privata ad secretum servandum, & notionem scribentis excitandam. Sic in re Communis.

Sigillum probabilius non plene probat, nec plenam fidem facit sine subscriptione sigillantis in testamentis scriptis, sicut & in aliis casibus, ubi agitur de magno praedijudicio, aut de Jure, vel consuetudine specialiter requiritur subscriptio. Covarrubias prad. qq. c. 2. n. 9. Mascard. de probat. conclus. 1309. n. 7. Reiff. lib. 2. Decr. tit. 22. num. 94. Bartolus in proavio, ff. num. 8. vers. Item quarto, si est solum Sigillum & allegans ad id l. Ad testium, §. Si quis ex testibus, ff. de Testam. ubi dicitur: Si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, verumtamen signaverit, pro eo est, utque si adhibitus non est, juncto Summario ibidem est eodem Bartolo desumpto expresse dicente: Requiritur signatio, & subscriptio, & alterum sine altero non valet. Speculator tit. de instrum. editioe §. Instrumentum ergo publicum, numer. 19. vers. Item quod non est signatum: Engel lib. 2. Decr. tit. 22. num. 17. & alii apud Mascard. loc. citat. n. 6. Si enim solo sigillo plena fides praestanda esset, facile fraus & dolus committi posset.

Opposita autem sententia, quod nempe sigillum, ubi de ipso constat, probet, & fidem faciat absque propria subscriptione sigillantis, nisi aliud legitibus, vel consuetudine constitutum fuerit, est vere probabilis, & eam expresse tenent Innocentius in cap. Scripta 2. in fine de fide instrumentor. Menoch. l. 2. de Arbitr. Jadic. caus. 113. num. 6. Decius in c. Post concessionem, n. 21. de probat. Covarrubias loc. cit. num. 9. circa finem, & alii apud Mascard. c. concl. 1309. num. 4. arg. cit. c. Scripta 2. de fide instrum. ubi ista duo aequiparantur, & alternative privilegii dicuntur, nempe scripta per manum publicam facta, & scripta habentia sigillum Authenticum, ibi: "Nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareat publica, aut authenticum sigillum habuerint, per quod possint probari." In alternati-